I. N. J.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

DOMINIO FIDELIS,

Quam

SUB PRÆSIDIO DIVINO,

Decreto & Authoritate

MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI in Illuſtri Argentoratenſium Univerſitate Juris Conſultorum Ordinis

PRO LICENTIA

Summos in Utroque Jure Honores & Privilegia Doctoralia legitimè conſequendi,

Solenni Eruditorum Examini ſiſtit

JOHANNES CHRISTOPHORUS STAUD, Berutho.

Ad diem 27. Maij. horis l.q. conſuetis.

ARGENTORATI,

Literis JOHANNIS WELPERI.

ANNO M. DC. LXIX.

4922

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Ad Lectorem Benevolum.

CVm nihil facilè ex ſolennibus immutandum, nec ea, quæ certam ſemper legem habuere non religioſè obſervanda, non potui, quin & ego religioſus eorum, quæ à Majoribus conſtituta utiliter ſunt, ſectator, eadem tangar ſollicitudine. Pauca conceſſere ſeptimanæ, ex quo poſt exantlata Examina Doctoralia ab Ampliſſimo ICtorum Ordine ex Cathedra publicè reſpondendi data licentia eſt; unde ratio ordinis poſtulat de materia diſpicere, quæ occaſionem huic rei præberet. Obtempero legi, & ſiſto Inauguralis Diſputationis loco Dominium fidelis, *non quidem ut ſublimem aliquem & omnibus ſuis numeris abſolutum tractatum, (hoc enim non poſſum,) ſed ut nihil quod ad perfectionem & Conſummationem ſolennitatum pertinet, deſideretur. Annuat Cœptis Divinum Numen!*

I. N. J.

THESIS I.

LEgitimi rationem ordinis ſequuturus, habeo, cur B. L. Tibi, ut eo citius illius rei, quam cupio introſpicere, intelligas vim, & ab omni lapſu, in quem errorum genitrix, æquivocatio, ducere ſolet, ſecurus reddaris, curioſè exhibeam, unde orta ſint verba, & quam variè à variis accipiantur. Cumque hac in re Illuſtres Viri operam

meam accuratiſſimis vigiliis anteverterint, malo benè inventis & digeſtis tecum uti, *diſt.37. c. 8.* quam conando in limine ſtatim hærere, aut multis paraſangis relinqui; ideoque te ad eos remittam.

2. Dixi me acturum de DOMINIO FIDELIS; Itaque Dominium unde originem ducat, ne actum agam, docebit te Doctor meus, *Magnificus Ampliſſimæ Facultatis Iuridicæ Senior, ejusdemq; p. t. Decanus D. Rebhan. ex Hod. Chart. 1. Clim. 2. par. 20. p. m. 217. verb. ut hactenus. & ibi allegati.*

3. Varietatem quoque acceptionis optimè haurire potes ex modo laudati Doctoris mei *Hod. d. l. p. m. 215. Cui gemina tradit Magnif. Dn. Struv. Synt. Iur. Civ. Exerc. 11. th. 55. Synt. Iur. feud. c. 2. aph. 3.*

4. Mihi dicitur hic de pleniſſima utendi fruendi facultate, reſtrictam & dependentem de proprietate diſpoſitionem, ejusdemque alienationem involvente.

5. Fidelis, à fide, ſive fidelitate, ſpecifica feudi forma deſcendit. Cumque fides illa conſiſtat in exhibitione reverentiæ, promotione ſalutis, averſione, quod domino fortè imminet, damni, præſtatione ſervitiorum, quibus tàm belli quàm pacis tempore, domini vitæ, corpori, honori conſulitur, territorium aliave bona ac jura defenduntur, conſervantur, augentur; mihi, ut alias plures ſignificationes ex Lexicographis petendas relinquam, dicitur fidelis, qui pro beneficio accepto ad hæc omnia præſtanda ſe obſtringit. *1. f. 1. §. 1. c. 4. § 5. c. 5. pr. 11. f 23.*

6. Aliàs venit nomine Vaſalli; Clientuli; Militis; Beneficiarii; Beneficiati, ſcil. à re, quæ beneficii loco data eſt; Infeudati; Infeudatarii. *vid. Ludw. Syn. feud. cap. 5. Vult. l. 1. c. 4. n. 12.* Germ. Getrewer. Unde formula in Cancellariis uſitata, qua inſcribuntur literæ ad Vaſallos, Unſern lieben Getrewen. Quæ tamen formula non ita propria eſt Vaſallis, quin Subditi etiam eâdem compellantur, *per Gail. de Arreſt. c. 7. n. 13. Vult. l. 1. c. 4. n. 12. in fin.*

7. His præſuppoſitis, erit in complexu Dominium fidelis aliquâ re liberrimè fruendi, ac de eadem pro arbitrio, ſed reſtricto, & ab alio dependente diſponendi ſub lege fidei conceſſa poteſtas.

8. Dico

8. Dico poteſtatem, *motus* 11. *f* 8. | §. *rei autem.* eo ſenſu, quo *l.* 17 *ff. de ſtat. lib. l.* 9. *ff de ſervit. pr. I. quib. alien. lic. vel non. l. fin. de ſtip. ſerv.* ubi ſignificat facultatem quandam moralem ſeu legalem, arbitrium, jus, licentiam. *add. laudat.* M*agn. D. Senioris Hod. chart.* 2. *Clim.* 1. *par.* 3. *p.* 97.

9. Huic poteſtati atque licentiæ cauſam dare poſſunt omnes, qui liberam bonorum adminiſtrationem habent. 11. *f.* 3. *l.* 21. C. *mand.* Nulla quærenda hodie differentia, vel in ſexu, vel in dignitate, vel aliâ conditione. Sive enim maſculus ſit, ſive fœmina, modò non luxurioſè vivat. *arg. l.* 15 *ff. de cur. fur. dat. Moz.* 80, 25. nihil intereſt. 1. *f.* 1. 6. 11. *f.* 91. 11. *f.* 3. §. 1. *verſ. fœminam. non obſt. l.* 2. *de R. I. l.* 12. *ff. de jud.* quemadmodum etiam nihil refert, Laicus an Clericus ſit. Habent enim hi quoque, præter Eccleſiaſtica, bona, quæ jure proprio poſſident. 11. *f.* 35. *pr.* quorum arbitri ſunt & moderatores. *l.* 21. C. *mand.*

10. Diſtinctius paulò procedamus. Quod Laicos attinet, de Imperatore, ſive Principe Romano, neminem eſſe arbitror, qui dubitet, quin ſibi ex bonis patrimonialibus fidelem facere poſſit. 1. *f.* 7. 14. An autem æque ex bonis Imperii? Si hoc conetur absque ſtatuum conſenſu, licet renovare inveſtituras, & fidelitatem recipere nomine Imperii poſſit. *Capit. Ferdinandi II. & III. art.* 29. & 39. facilius tamen fortè, contra nonnullos, negatur, quam aſſeritur. *vid. Capit. Carol. V. & ſeqq. Impp.* §. Zu deme und inſonderheit ꝛc. 9. *ibiq. Limnæus verb.* Samptlich. ꝛc. & in andere weeg vereuſern.

11. Uti etiam fruſtra eſt, qui absque urgente Reip. utilitate, ac inevitabili neceſſitate in bonis ſubditorum hoc ſibi tribuit. Nihil enim eſt quod Principem juvet. Juri naturali ſubjectum credimus; hoc autem vetat alicui eripi jus legitimo modo quæſitum; ſicuti è contrario ſubditos jubet neceſſitati concedere, & in gratiam utilitatis publicæ bona dimittere, refuſo tamen ex aliorum ſubditorum collectis pretio; ne alius præ alio plus oneris ſuſtinere cogatur. *Grot. de jur. bell. & pac. l.* 2. *c.* 14. *num.* 7. 8.

12. Eadem in cauſa ſunt Reges, Reſpublicæ ſuperiorem non recognoſcentes, Duces, Marchiones, Comites, Barones. Quamvis enim hi antiquis Germaniæ temporibus, non

dominium quoddam in integras provincias & regalia habuerint; ſed gubernatores ſolum provinciarum, & miniſtri Regum & Imperatorum fuerint. *Lehman. Chron. Spir. l. 2. c. 16. & c. 21. ſeq.* Aucta tamen progreſſu temporis potentia eo pervenerunt, ut non amplius adminiſtrare, ſed imperare viderentur. Hinc metus, ne modo adminiſtratores, mox provinciarum dominos ſe ipſos conſtituerent, vel ſpe ampliorum opum & dignitatum, cum hoſtibus Impp. colluderent. Prudentiſſimo conſilio res ita temperabatur, ut præter dignitatem & adminiſtratoriam poteſtatem, quam habebant, dominium quoddam & jus ſuperioritatis in illas provincias jure feudi concederetur, retinendis hoc modo, illis in fide & obſequio; provinciis ſub Germanorum Imperio, uti latius deducit *Magnif. Dn. Struv. ſynt. jur. ſeud. c. 1. a. 4. c. 3. a. 7.* Ex hoc αὐτοκρατορίας ac ſublimi territorii jure fluit facultas, etiam absque Imperatoris conſenſu beneficio particularium quorundam prædiorum ſibi fideles conciliandi.

13. Dum verò hoc dicimus, nemo arbitretur intra nobilitatis tantum terminos hanc facultatem contineri, ſed porrigitur ea ad plebejos & ruſticos uſque, *per ea, quæ tradit Ludvvell. ſyn. feud. c. 5. Struv. c. 5. a. 3.* (quamvis non deſint, quibus diſpliceat *propter 1. f. 1. adde 2. f. 3.*) & conſequuntur non minus atque in dignitate conſtituti jurisdictionem feudalem. *arg. 11. f. 55. §. 2. in fin. non repugnante l. 3. C. de Iurid.*

14. Tranſitum facio ad Clericos. Conſtat eos bona poſſidere, quæ non intuitu Eccleſiæ acquiſivere, *11. f. 35.* & perinde ſe habent ac Laicorum bona. *arg. c. 9. 12. de Teſtam.* ideò eorum diſpoſitionem, nihil impedit. *d. 11. f. 35.*

15. De Eccleſiaſticis verò bonis ſolus Pontifex liberè & licitè diſponit. *c. 2. de preb. in 6.* (*non obſt. quod 1. f. 1. Pontificis non fiat mentio.*) quamvis nonnunquam, præprimis ſi res ſit majoris momenti, Cardinalium conſilium adhibere dicatur. *c. 17. §. decet. de elect. in 6.*

16. Infra Summum Pontificem, nemini licet, ſine ejus authoritate & conſenſu, *cap. un. extrav. Comm. de reb. Eccleſ. non alien. c. ult. extr. de feud. c. 6. de reb. Eccl. non al. conf. parat. Iur. Can. Andr. Vallens. §. 1. n. 1. 4. ad d. t.* Licet olim Abbas, Abbatiſſa, & Præpoſitus facere potuiſſe videantur. *1. f. 6.* fidelis recipiendi

cipiendi gratia de novo aliquid alienare. *arg. c.5. de reb. Eccleſ. non al. l.ult. C. de reb. al.non al.* Quod ſi verò res in feudum dari ſolita fuit, ſi morte vaſalli, aut alio modo ad Eccleſiam redierit, priusquam facta ſit de menſa Eccleſiæ, alteri, etiamſi ſit conſanguineus vel affinis, *Mynſ. V. O. 47. non obſt. Nov. 120. c. 5. §. Oeconom & Auth. Quibuscunq. C. de SS. Eccleſ.* licitè conceditur, modò Eccleſiæ utilitas verſetur. *c.2.de feud. 1.f.1. pr. Gail. 2.obſ. 161.* Quod procedit, etiamſi Prælatus juramento caverit, ſe res Eccleſiæ non daturum in feudum, inconſulto Romano Pontifice; quia juramentum intelligitur de iis rebus, quæ antea non ſunt ſolitæ infeudari. *Vallenſ. ad t. de feud. §.2. n.3.*

17. Dictis conſequens eſt, illos, quibus libera bonorum adminiſtratio non competit, ſed vel interdicta eſt, vel circumſcripta, fidelem ſibi facere non poſſe. quorum in numero ſunt; Pupilli, *pr. I. de Auth. tut. 11. f. 3. pr.* Minores, ſive Curatorem habeant, ſive non, *l.4. 6.15. C. de præd. min. ſin. decr.* furioſi, *l. 5. l.40. ff. de R. I.* mente capti, prodigi, *l. 6. de V. O.* Surdi, muti, ſive nati ſint, ſive facti, qui non intelligunt quid agant, nec, quid alii cum ipſis agunt, percipere poſſunt *l.93. §.1. de acquir. hered.* Quid ſi tutoris vel curatoris conſenſus accedat? vel tutor aut curator nomine iſtorum quid facere velit? Reſp. ne ſic quidem poſſe, *arg. l.27. de admin. tut. l.2. C. de præd. min.* niſi concurrat 1. urgens neceſſitas, *l. 13. l.12. ff. de reb. eor. qui ſub tut. l. 5. §. 9. ff. eod.* 2. Judex cognoſcat de ipſa neceſſitate. *l.6 11. C. d. t. l. 5. §.9.10. l. 7. §.3. ff eod.* 3. Decretum ſolenniter interponat. *l. 6. l. ult. C. de præd. min. Huc non obſt.* quod pupillum attinet, *text. 11. f.3 pr.* quod minorem, *non obſt. l.1 C. de fidejuſſ. min. l.1. quand. decret. non eſt opus. l.3 C. de reſtit. in integr. l ult. C. ſi maj. fact. al. rat.* quod ſurdum & mutum, *l.33 §.2. de donat. l. 48. de O. & A. l. 35. § ult. de V. O. l.4. §. 1. de pact.*

18. In numero etiam illorum, qui non poſſunt; eſt filiusfam. quantum ad peculium profectitium, *§.1. I. per quas perſ. acquir.* & adventitium ordinarium, *l. fin. §. 5. verſ. Filius autem. C. de bon. quæ lib. non obſt. l. 3. §. ult Vſuf quemadm. cav. l. 2. C. de Vſufr.* Quantum ad peculium Caſtrenſe, & illud quod extraordinarium adventitium dicitur, liberam ſentit manum. *arg. l.15. §.1. de caſtr. pecul. l.2. C. de SCto Maced. Nov. 123. c. 19. l. 7. C. de bon. quæ lib. Nov. 117. c.1. §.1.*

19. Et

19. Et quemadmodum in genere huic dominio cauſam dare poſſunt, qui liberam rerum adminiſtrationem habent; ita accipere illud poſſunt etiam omnes, qui expreſsè non ſunt prohibiti, aut commercio rerum privati. Non diſtinguuntur perſonæ accipientium inveſtituram. 11. *f.* 3. §. 1. ſed admittuntur maſculi, 11. *f.* 34. §. 2. admittuntur fœminæ, modò expreſsè de illis agatur, 11. *f.* 23. 1. *f.* 8. §. 2. 11. *f.* 17. 30. 50. *non obſt.* 11. *f.* 36. *in fin.* Etiam ſexus dubii, qui, uti ex *Ioh. Sarisberienſis lib.* 5. *polycr. c.* 10. *notat. Rittersh. lib.* 1. *c.* 6. *n.* 10. quodam delinquentis naturæ ludibrio ſic utriusque ſexus oſtentant imaginem, ut neutrius retineant veritatem. Qualitas enim ſexus incaleſcentis. *l.* 15. §. 1. *ff. de teſtib.* ſive prævalentia. *l.* 10. *ff. de ſtat. hom.* judicium præbet, cuinam ſpeciei annumerari debeant.

20. Ætas tamen diſtinguit. Nam infans, qui nondum ſeptem annos natus eſt, & propter ætatem adhuc fari nequit. h.e. non intelligit, quid ipſemet loquatur, multò minùs quid agatur. *vid. Hod. p.* 492. etiamſi accedat tutoris authoritas, (*non obſt. l.* 1. §. 3. *l.* 32. §. 2. *de acquir. vel amitt. poſſeſſ. l.* 65. §. 3. *ff. ad SCtum Trebell.*) nihil acquirit. *arg. l.* 1. *de falſ. monet.* §. 10. *I. de inutil. ſtipul. l.* 1. §. *ſufficit. ff. de admin. tut. l.* 9. *de acquir. hered. l.* 5. *C. de jur. delib. l.* 1. *C. ad SCtum Tertull. l.* 5. *de R. I. add. Bronch. hic, non obſt. l.* 3. *C. de acquir. poſſ.* Sed tutor nullo infantis actu interveniente ſolus omne negotium expedit. *l.* 5. *l.* 18. §. 2. *C. de jur. delib.* ideoque etiam inveſtituram concipiendam in ipſum tutorem, idemque obſervari in furioſo & mente capto monent. *vid. Moz. p. m.* 85. *n.* 36. eadem enim ſubeſt ratio; non intelligit quod agit. §. 8. *I. de inut. ſtip.* in eo animus deeſt. *l.* 2. §. 1. *ff. de procur.* nulla ejuſdem voluntas. *l.* 40. *de R. I.* per omnia abſentis, quieſcentis, dormientis & ignorantis loco habetur. *l.* 2. §. *pen. ff. de Iur. Cod. l.* 1. §. *furioſus. ff. de acquir. poſſ. l.* 4. *ff. de divort. & repud.* mentis ad omnia cæcitate laborat. *Cic.* 3. *Tuſcul. quæſt.*

21. Infantiæ proximi & pubertati proximi, circa quorum definitionem maximè vertitur prudentia judicis, cui, quia nihil certi, malitiâ vel ſimplicitate quandoq; ætatem ſuperante, definiri poteſt, relinquitur, inſpectis locorum, perſonarumque circumſtantiis & regionis natura, æſtimandum, an in re dubia

medium

medium teneri præciſè, & tempore, ab anno 7. quo infantia finitur, & ætas infantiæ proxima incipit, uſque ad annum 14. ex quo pubertas incipit, & ætas proxima pubertati finitur, in æquales partes diviſo, ætatem infantiæ proximam, in maſculis, definire annis 10. & 6. menſ. in fœminis verò annis 9. & menſ. 6. reliquam verò ætatem ad pubertatem uſque, transſcribere ætati pubertati proximæ, queat. *vid. Magnif. Dn. Senior. Hod.* 496.) eodem jure cenſentur, §. 10. *I. de inut. ſtip.* libertate illis à quibusdam, *quos allegatos vide apud Ludvvell. ſyn. feud. p. m.* 142. data, tutoris authoritatem adhibere, nec ne, propter *pr. I. de Author. tut.* II. *f.* 23. 26. Quorum ſententia fortaſſis procedet, ſi dominium hoc, per ejusmodi viam, unde nulla obligatio reciproca metuenda, tranſiret, v. c. per nudam ac ſimplicem donationem. Secus autem ſi ſit, tutius omninò eſt, adhibere authoritatem tutoris. Ita enim fiet, ut concedens dominus obligatum teneat pupillum ad ſervitia, quæ per ſubſtitutum expedire poteſt, II. *f.* 26. §. 5. & fidelitatem; Qui aliàs, niſi factus major annis 14. non obligatur. *Intrigl. de feud. qu.* 54. *n.* 46. II. *f.* 26. §. *ſi minori.* pupillus acquirens, non inducatur ut ejuſmodi rei ſe ſubjiciat, unde plus oneris, quàm emolumenti ſperandum. §. 10. *I. de inut. ſtip. l.* 1. §. 13. *de O. & A. l.* 6. *rem pup. ſalv. fore.*

22. Minores, quibus propter judicii ſtabilitatem, quâ pollere creduntur. §. *ult. Inſt. qui & ex quib. cauſ.* relinquitur, curatorem accipere, nec ne; §. 2. *de curat.* ſi acceperint, conſenſum illorum adhibere debent, modo dominus ſervitiorum obligationem exigat. *non obſt. l.* 101. *de V. O.* Si verò Curatores non habeant, ſubſiſtit, ſi quam inierunt, conventio. Circumſcripti tamen reſtitutione ſibi conſulere poſſunt. *l.* 3. *C. de reſt. in integr.*

23. Illud notandum, quod, ſi filiusfam. ſit, cui beneficium hoc ab extraneo (à patre enim, cujus in poteſtate eſt, cum incidat in donationem, quæ inter patrem & filiumfam. regulariter, (exceptiones vide apud *Gail.* 1I. *obſ.* 38.) prohibita, fieri nequit. *l.* 1. §. 1. *ff. pro donat.*) confertur, penitus patria poteſtas quieſcat circa acquiſitionem uſusfructus, ad exemplum peculii Caſtrenſis, cujus naturam, propter ſervitiorum, quæ utplurimum militiæ contemplatione conſtituuntur, præſtationem, re-

ſert. *arg. l.1. C. de Caſtr. pecul.* *Vult. l.1. c.4. n. 8.* *Luddvvell. ſyn. feud. c. 6. p.147.* *Non obſt. l. fin. C. de impub. & alior. ſubſtitut.* 11.*f.*1. 45.

24. Prodigum etiam abſque Curatoris conſenſu admittendum cenſuerim, quia hic ceſſat ratio interdictionis. Non enim eſt prodigus qui acquirit. *arg. l. 5. §. 1. de acquir. vel. am. hered.*

25. In eadem cauſa ſunt muti, ſurdi, cæci, illi tamen, qui mentem ſuam per ſigna vel literas exprimere, & alios, quid velint, ſatis intelligere poſſunt. §. *ult. I. de hered. qual. l. 5. pr. de acquir. vel om. hered.* Neque eſt cur ineptitudo ad ſervitia & fidelitatem præſtandam eos excludat. Dominus enim ſciens (nam per ignorantiam quod fit, nullius eſt momenti. 11. *f.* 3.) Concedens talibus, gratiam feciſſe cenſetur, ut, quod ipſi non poſſunt, per alios præſtent. 11. *f.* 3. §. 1. taceo quod planè remittere ſervitiorum & fidelitatis præſtationem queat. *d. c. & §. in fin.*

26. Fruſtra etiam eſt diſtinctio, quæ ducitur à dignitate, vel aliâ conditione, modò ſeipſos ob delicta & pœnas eapropter impoſitas, indignos non reddiderint. *de quib. Vultej. l.* 1. *c.* 4. *n.* 11. quandoquidem non ſolum nobilis à nobili, ignobilis v. g. ruſticus (qui tamen nobilis inde non fit, per 11. *f.* 10. *verſ. cæteri.*) à nobili: *Non obſt.* 11. *f.* 26. §. *beneficium.* 34. §. 2. ſed etiam nobilis & ſuperior, ab ignobili & inferiore. 11. *f.* 100. *Non obſt. l.* 4. *ff. de recept. arb. junct. l.* 14. *de jurid. l.* 13. §. *pen. ad SCtum Treb.* beneficio afficitur. Et hoc adeò verum Dd. creditur, ut etiam Imperatorem à Marchione, Duce &c. beneficium accipere poſſe aſſerant, præſtitâ fidelitate & ſervitiis per vicarium. *cap. all. junct. l.* 21. *C. de Epiſc. & Cler.*

27. Cæterum Laicus ſit, an Clericus, qui beneficium accipiat, ſive à Clerico, ſive à Laico, nihil refert, 11. *f.* 40. §. *fin. non obſt. c.* 12. *extr. de for. compet.* Quid ſi Monacho quid conceſſum? Monaſterium, cui mancipatus eſt, rectè illud ſibi vindicat. *arg. Nov.* 5. *c.* 5. *junct.* 11. *f.* 3.

28. Supponuntur huic dominio res mobiles, quæ manentes integræ ac ſalvæ de loco moveri, ac in alium transferri commodè poſſunt, ſive ſe moveant, ſive moveantur ab aliis; *non obſt.* 11. *f.* 1. § *ult.* & immobiles, quæ vel naturaliter vel civiliter tales ſunt:

29. Natu-

29. Naturaliter immobiles dicuntur res corporales, quæ naturâ ſuâ moveri nequeunt, ipſum nimirum ſolum, fundus, ager. *l.*155. *l.*198. *l.*27. *l.*31. *de V. S.* aut ſolo natura, aut arte firmiter cohœrentes. *l.*44. *de R. V. l.*17. *pr. l.*18. *de act. empt.*

30. Civiliter verò immobiles appellantur 1. res ſuâ quidem naturâ mobiles, ita tamen ad rem immobilem pertinentes, ut ſeparationem, civili loquendi modo, non admittant; adeoq; una cum re immobili, cui conjunctæ ſunt, quæ perpetui uſus gratiâ in prædiis ſunt. *l.*17. §. 7. *l.*13. §. *fin. l.*14. *de act. empt.* 2. Rem incorporalem, quæ rei immobili inhæret, ac ratione ejusdem competunt; quales ſunt jura reſpectu rerum immobilium competentia, quæ inter maximè excellunt regalia, ſive poteſtates illæ variæ, quibus veluti poteſtatibus Majeſtas, tanquam totum aliquod poteſtativum, conſtat.

31. Harum poteſtatum aliæ pertinent ad Principis ſummum decus & authoritatem, ſine pecuniario commodo, & dicuntur Regalia majora. Aliæ conſiſtunt in commodorum & emolumentorum ex bonis publicis, vel aliis ratione Imperij aut territorij perceptione, & dicuntur Minora.

32. Non obſtat, quod dicitur per conceſſionem horum jurium detrahi Majeſtatis integritati. Majeſtas enim eſt ſumma in civitate ubique ſive in omnibus poteſtas. Ubi per omnia intelliguntur negotia civilia ad Rempubl. ſpectantia, innuiturque, eum qui Majeſtate gaudet plenariâ, & in tota ſua latitudine accepta, gaudere ſimul ſummo Imperio, circa omnia ad Rempubl. ſpectantia negotia: quia ea demum plenaria & omnibus numeris abſoluta Majeſtas eſt, quæ totam exhaurit Rempubl. & ad omnia Majeſtatis jura ſe extendit. Non verò extenderet ſe, ſi quædam jura per conceſſionem abirent, quia impoſſibile eſt ſublata parte, integrum nihilominus remanere totum. Hoc, inquam, non obſtat; Nam conceſſio alicujus juris Majeſtatici fieri poteſt duobus modis: 1. per nudam uſurpationem, ita quidem, ut penes communicantem non amplius ſit exercitium juris Majeſtatici alicujus; Maneat nihilominus penes ipſum poteſtas in actu ſignato. Et hoc modo tàm majora, quàm minora Majeſtatis Jura, quoad exercitium alteri alicui communicari poſſunt, manente nihilominus ſalvâ & integrâ Majeſtate communicantis.

nicantis. Vel 2. fit conceſſio illa per diviſionem, ſeu ut alii loquuntur, per translationem, qui modus communicandi differt à priori in hoc, quod in illo res communicata quoad illam partem, quæ communicatur, penes communicantem remanet; In hoc autem planè vel certè quoad illam partem, in quam communicatur, non remanet. Et ſecundum hunc modum ſi fiat communicatio Majeſtatis, certum eſt, majeſtatem non remanere integram penes communicantem, cum pars ipſius ſit à communicante translata.

33. Et quid multis; multa paucis complectar. Huic dominio ſubjiciuntur omnes res, modò ſint 1. in rerum naturâ, ſive actu, ſive potentiâ. *l. 46. de pact. l. 8. de contrah. empt. l 83. §. 5. verſ. ſi ſtipulatus fuero. de V. O.* Propria ſit an aliena, hactenus nihil intereſt. 11. *f.* 8. 25. Agi enim poteſt ad evictionem, ut res alia ejusdem bonitatis, vel æſtimatio ſubſtituatur, modò ignorantiam rei alienæ probet, qui inveſtituram accepit, vel ſciens rem eſſe alienam, ſpeciali pacto ſibi proſpexerit. 11. *f.* 8. & 25. *Non obſt. l. 2. C. de evict. l. 18. §. ult. de donat.* 2. In commercio. *l. 83. §. 5. de V. O. §. 1. 2. ſeq. de R. D.* 3. Ex ſpeciali ratione alienari non prohibitæ. v. g. res immobilis inæſtimatò in dotem data. *l. 1. §. 1. l. 4. de fund. dot.* res fideicommiſſo ſubjectæ. *vid. Gail. 2. obſ. 137.*

34. Quo modo autem res memoratæ qualitate hâc afficiantur, ut eò faciliùs perſpiciamus, diſtinguenda eſt, quemadmodum in aliorum Jurium in re acquiſitione, & ſeparanda ab ipſa conſtitutione & acquiſitione, promiſſio. 1. *f.* 25.

35. Promiſſio fit vel inter vivos, pactis ſcil. & ſtipulationibus, vel ultimâ voluntate per viam legati, aut inſtitutionis. Pacta & contractus ſive ſint nominati, ut emptio venditio, ſive innominati, ut permutatio, obligant Dominum ad conſtituendum per inveſtituram feudum; alteri tribuunt jus ad rem, & actionem perſonalem ex contractu, qui intervenit, alias competentem.

36. Legati nomine tres alioqui competunt actiones, ex teſtamento, hypothecaria & vindicatio. §. 2. *I. de legat.* fideli verò noſtro ad conſequendam inveſtituram, duæ tantum priores ſunt utiles. *arg. l. pen. pr. C. de uſufr. & l. 1. C. comm. de leg.*

Vindicatio

Vindicatio inutilis, quia formale hujus actionis requiſitum, nempe Dominium, (quod nudâ promiſſione non tranſit, *l.* 20. *C. de pact.* ſed interveniat neceſſe eſt factum heredis, ſc. inveſtitura, 1. *f.* 25. 11. *f.* 8. *verſ. rei autem.*) deficit. *Oldend. claſſ.* 3. *act.* 2. *Magnif. Dn. Senior cb.* 2. *cl.* 4. *par.* 19.

37. Titulo Inſtitutionis honoratus fidelis, aut cohæredem habet, cui ſuperior in re poteſtas ceſſit, aut alium, qui titulo legati eam accepit. Illo caſu ſecundum voluntatem defuncti inveſtitur à cohærede, hoc à legatario; & utroque jus hoc ut conſtituatur in re per inveſtituram teſtamento & jure hæreditario (licet poſtquam conſtitutum eſt in ſucceſſores vaſalli, non modo hereditario civili, ſed modo ſuccedendi feudali tranſeat) defertur: adeoque ſecundum caſuum diverſitatem, vel familiæ herciſcundæ judicio, vel petitioni hæreditatis erit locus. *arg. l.* 1. §. 1. *l.* 16. *pr. ff. fam. erciſc.*

38. Promiſſionem excipit conſtitutio & acquiſitio, (quorum terminorum promiſcuum uſum ſuadet *text.* 1. *f.* 25. collatus cum 11. *f.* 33. *pr.*) ſubnixa vel expreſſo conſtituentium conſenſu, vel à jure præſumpto. Illo in inveſtitura; hoc in præſcriptione.

39. Inveſtitura eſt actus ſolennis, quo jus quoddam, quod in re conceditur, vel qualitas quæ perſonæ tribuitur, confirmatur & confertur. *Dn. Struv. cap.* 8. *a.* 1.

40. Quia autem collatio hæc quandoque fit ſignis tantùm adhibitis, & repræſentativè, ipſa actuali traditione ſuſpenſa; quandoque ſtatim realis traditio promiſſionem fidelitatis comitatur; dividitur inveſtitura in abuſivam & propriam. Illa vocatur actus quo ſigno quodam adhibito, coram teſtibus alicui fidem promittenti, dominium quaſi ceditur. 11 *f* 2. *pr.* Hæc, quo Dominus fidelitatem ſibi promittenti, ſolennibus legitimis adhibitis Dominium per traditionem transfert.

41. Ex hiſce facilè colligitur, quid in inveſtitura conſiderandum, ſc. contractus feudalis, & deinde traditio rei.

42. In Contractu, (qui nominatus, *non obſt.* 1. *f.* 21. Conſenſualis, 11. *f.* 2. bonæ fidei. 11. *f.* 6. 7. *in fin.* 58. rectè dicitur) id agitur ut dominium aſſignetur fideli; fidelis ad præſtandam fidem ſeſe obliget. 11. *f.* 3. *in fin.* 4. 6. 7. 23. *in fin.* actu ſolenni. 11. *f.* 2. *pr. verb. ſolenniter.* & 32. *verſ. quia ſine hac.*

 43. Solen-

43. Solennitas autem actus conſiſtit in hoc; Dominus inveſtiens, ſive ipſe Princeps ſit, quod fieri volunt in Principatibus, Ducatibus, ſive ejus nomine Cancellarius & Conſiliarii, ubi nemo ſingulariter conſtitutus eſt, qui de feudis nomine Principis fidelem inveſtiat, quem vocant feudorum præpoſitum, Lehen-Probſt/ *Giph. tract. de Iur. feudi. c.10 n.6.7.* aut cui Princeps demandaverit. *11. f.3. §.1. verſ. Sed utrum. add. Receſſ. Imp. de Anno 1521. §.* Und ſollen Wir. ꝛc. verbis jus quaſi cedit, & ei, quem in fidelium numerum ſuſcepit, porrectione cujusdam ſigni aut ſymboli, quo jus aut res ſignificatur & repræſentatur, quaſi tradit. *11, f. 2. pr.*

44. Symbolis utuntur, haſta, corona, bireto, pileo, baculo, ſceptro, enſe, vexillo, annulo, &c. juxta cujusque loci conſuetudinem. Sic legimus Imperatorem noſtrum ad conceſſionem feudorum regalium ſecularium adhibere vexilla, in quibus regionum, de quibus inveſtitura fit, inſignia ſolent eſſe depicta, quorum traditione ipſæ provinciæ traditæ cenſentur, peractâ autem inveſtiturâ vexilla projiciuntur in populum. Scribitur etiam, ut ſolennior res procedat, enſem quandoque adjungere. Aliquando nullâ differentiâ habitâ ſeculare feudum ſit, an Eccleſiaſticum enſe ſolo uti, cujus capulum porrigat apprehendendum, atque extremitatem ejus oſculandam ei, qui inveſtitur, aut ſi ipſe non adſit, ejus legato. *vid. Dn. Struv. ſynt. feud. c. 3. a.7. n.25. ibiq; alleg.* quibus add. Inveſtitura Regalium Electoralis dignitatis Mauritii Ducis Saxoniæ, à Mamerano Lucemburgo deſcripta.

45. Contractu hoc modo inchoato fidelis paratus eſſe debet ad promittendam fidem. *11. f. 4. & 7. non obſt. 11. f. 3. §. 1. in fin.* mediante regulariter. *11. f. 24. §. 1. in fin. 11. f. 3.* juramento, quod fidelitatis vocant; & uſu feudorum ſæpè ſimpliciter fidelitas appellatur. *11. f. 3. 4. 24. in fin.* Cujus formulam *11. f. 6. 7.* videre licet.

46. Hoc juramentum niſi remittatur. *d. 11. f. 3. 11. f. 24. §. 1.* (quâ remiſſione tamen non eſt, cur quis ſibi blandiatur, ut præſtandis, quæ alias juramento comprehenduntur, ſe ſolutum credat. *11. f. 47. in fin.* Multum enim intereſt, promiſſio fidei exhibendæ remittatur, an verò modus tantùm promittendi.

addе

addde *Dn. Struv. c. 2.a.6.*) in omni feudo quale ac quantumcunq; concedatur, eſt præſtandum, 11. *f.* 3. & à quocunque, etiam Clerico. *arg. c.*30 *de jurejur.* imò ipſa Eccleſia. *arg. c. un.* §. *verum. c. quando de ſtatu regul. in 6.* Conceſſo tamen hoc, ut, qui ipſe juſto impedimento excluſus non poteſt comparere, ſpeciali inſtructum mandato mittat procuratorem, qui in ipſius animam, in ſeines Principalen Gewiſſen und Seele/ juret. 11. *f.* 3. §. 1. *verſ. ſed utrum*: modò is in cujus animam jurandum, & ipſe ſit habilis ad jurandum. Unde eſt, quod minores, furioſi, muti, ſurdi, ne quidem per tutores vel curatores jurare poſſunt, ſed expectatur, donec ipſi illud præſtare poſſunt. 11. *f.* 26. §. *ſi minori*; quod ſi autem ſpes habilitatis planè nulla ſit, & Dominus nihilominus concedat talibus, remiſiſſe juramentum cenſetur. *Dn. Struv. ſynt. feud. c.* 8. *a.* 7.

47. Quæ dicta hactenus ſunt expediri debent & fieri, coram teſtibus. 11. *f.* 32. 11. *f.* 2. ſaltem duobus. 11. *f.* 2. Pluralis enim locutio duorum numero contenta eſt, ubi teſtes indefinitè requiruntur. 11. *f.* 58. *verſ. quod autem. l.* 12. *l. de teſt.*

48. Teſtes, neceſſe eſt, ſint homines liberi, non ſervi. 11. *f.* 58. §. 1. ſint maſculi, non fœminæ, 11. *f.* 32. *in f.* Teſtes quippe adhibentur, non ſolum ut per eos actus probetur, ſed ut celebrior & major ſolennitas fiat. 11. *f.* 32. *pr. verb. ſine hac ſolennitate.* quo caſu fœminæ à teſtimonio excluduntur. *arg. l.* 20. *ff. qui teſt. fac. poſſ.* Denique (modò Dominus copiam habeat. 11. *f.* 33. *verſ. quod autem.* Vaſallorum habilium. *Schrad. c.* 2. *n.* 10. Nec conſuetudo vel ſtatutum alicujus loci extraneos admittat. *arg.* 11. *f.* 1. *verſ. Legum autem Roman.*) ſint pares Curiæ ſive Curtis. 11. *f.* 2. 2. *f.* 32. qui eandem Curtem, Curiam ſive aulam Domini, h. e. eundem Dominum recognoſcunt, 1. *f.* 26. *verſ. ſi verò teſtes.* Inde appellatio nata, quod vocentur pares domus, 1. *f.* 11. pares de domo domini, 1. *f.* 26. §. *Si quis.* pares curtis domus. 11. *f.* 2. *pr.*

49. Ratio, cur pares Curiæ requirantur & non extranei, eſt in aprico: ſcil. propter vinculum, quo domino conjuncti & præſtiti religionem juramenti, non creduntur admittere, ut in perniciem Domini quid machinetur quis, vel excogitet, qualis ſuſpicio cadit in extraneos, quos inter & dominum nullus nexus,

nulla

nulla obligatio, ideò faciliùs creduntur corrumpi poſſe vel pecuniâ, vel odio, vel gratiâ, ut ſalutem domini inſuper habeant. II.*f*.58.§.2.*verſ.idcirco*. I.*f*. 26. *verb.forte amore*.

50. Quid ſi dominus pares quidem habeat, illorum tamen præſentiam non poſſit habere, anne extranei adhibendi? Diſting. aut abſunt propter impedimentum, ut ita loquar, invincibile, ita ut, licet velint adeſſe, non tamen poſſint. v.g. quod longius peregrè abierint, quod imbecillitate aliquâ detineantur; aut impedimentum tale eſt, quod facilè ſuperari poteſt. Priori caſu rectè extranei ſubſtitui poſſunt. I.*f*. 26.*pr*. poſteriori caſu ad citationem Domini comparere tenentur, actu tantiſper dilato, donec veniant. II.*f*. 33. quod ſi tergiverſentur & moras nectant, vel etiam venire omninò recuſent, multæ dictione illos coërcere & cogere poteſt. *arg*. II.*f*.2. *verſ. ſi enim*. *l*.4. *l*.5. *l*.8. *l*.19. *ff. de Teſtib*. *non obſt*. *l*. 6. *de teſt*. *l*.20.§.*fin*. *qui teſt.fac.poſſ*. *l*.22. §.*ult. de fideic. libert*.

51. Speciale eſt, quando Clericus inveſtit, quod ſimul cum paribus adhibendi ſint extranei, ſive inveſtituram faciant de rebus Eccleſiaſticis ſive propriis. I.*f*.26. *verſ. in Clericorum*. II.*f*.32. *add. Dn. Struv. c*.8. *aph*.5.

52. Ritè & legitimè hâc ratione celebratus, variaque adjectione pactorum variè informatus. II.*f*.2.§.3. I.*f*.8.§.2. Contractus, redigitur in inſtrumentum, quod breve teſtatum vocant. I.*f*.2.§.1. *l*.3.4. §.1. II.*f*.32. & minùs rectè à nonnullis inter ſolennitates numeratur, quaſi alternativè, aut pares Curiæ aut teſtatum breve requirantur. *Ludvv. ſyn.feud.c*.8. Nullibi enim in Jure feudali partem facit ſolennitatum, quemadmodum pares, qui expreſsè ad abſolutionem & perfectionem ſolennitatum evocantur. II.*f*. 32, 33. II.*f*. 2. Sed ut ſcriptura adſit, qua probari inveſtitura poſſit, hactenus omninò neceſſaria judicatur. I.*f*.2. §.1. *l*.3. 4. II.*f*. 2. 25. §.*ult. non obſt*. I.*f*.4.

53. Perfectionem ſcripturæ, ut plenam dubitanti fidem faciat, olim videtur impleviſſe parium ſubſcriptio. II.*f*. 2.*pr. verſ. ſi enim*. 58.§.2.*verſ. idcircò & 32*. Moribus noſtris ſatis roboris habet, ſi ſigillo domini ſit firmata; modò ex ea de præſentia in negotio peracto parium conſtet. *Schrader. part*.5.*c*.2. *n*,12. Patet hoc ex literis inveſtiturarum, quibus addi conſuevit:

Darbey

Darbey ſind geweſen die Veſte und Hochgelahrte/ Unſere Räth und Lieben Getreüe/ N. N. und andere mehr der Unſern glaubwürdige. ꝛc.

54. Breve teſtatum ſi deficiat, ejus vicem ſupplent pares. *11. f. 2. 25. §. ult.* ſi pares haberi non poſſunt, extraneis locus datur, qui hujus rei ſcientiam aliquam habent, *11. f. 2. pr. in fin. 1. f. 26.* his deficientibus res committitur juramento, vel domini, vel fidelis. *11. f. 2 1. f. 26.*

55. Parit dictus Contractus dicto modo celebratus 1. Obligationem, & quidem à parte inveſtientis, ut rem ſigno repræſentatam tradat, aut patiatur vaſallum occupare. Sed quid ſi Dominus rem tradere nolit, malitque intereſſe præſtare, anne auditur? Reſp. Modo rei, (quod præſupponitur) tradendæ facultatem habeat. *arg. l. 6. C. de her. vel act. vend.* cogitur omnimodo inveſtitum in vacuam poſſeſſionem mittere. *1. f. 7. §. 1. 1. f. 26. §. ſi facta.* quod ſi differat, h. e. debito tempore non tradat, omnem utilitatem, ſive omne id, quod intereſt, ei præſtabit. *d. 1. f. 7. §. 1.*

56. A parte inveſtiti, ut fidem & ſervitia exhibeat, *11. f. 3. in fin. 6. 7. 23. in fin.*

57. 2. Actionem, quæ perſonalis eſt, *§. 1. I. de act.* & datur Domino & vaſallo, adverſus Dominum & vaſallum, ad perſequendum id, quod ex natura contractus, & pactis adjectis, vel dominus vaſallo, vel vaſallus domino debet. *arg. l. 20. C. de pactis. 11. f. 2. pr. 26. §. ſi facta.*

58. Hactenus de Contractu feudali, ſequitur Traditio, quâ dominus plenam rerum adminiſtrationem habens utile reì ſuæ dominium in fidelem per vacuæ poſſeſſionis dationem transfert. *Magnif. Dn. Senior. Hod. ch. 1. clim. 2. par 53.* vel verè; v. gr. de manu in manum translatione, inductione in poſſeſſionem, vel fictè. *vid. 11. f. 33. add. Dn. Struv c. 8. a. 10.*

59. Longâ temporis poſſeſſione, ſeu præſcriptione acquiritur etiam hoc Jus in re. *11. f. 26. verſ. Si quis.* ubi, ſive ſit dominij directi, ſive utilis, requiritur 1. Poſſeſſio. 2. Lapſus temporis. 3. Bona fides.

60. Poſſeſſionem concomitari debet affectio ſibi rem, ut feudalem detinendi. *11. f. 26. 1. f. 28.* quæ ſe exerit, ſi quis ali-

cui fidelitatem & ſervitium præſtet, vel ſaltem offerat. *11. f. 37. §. ult.* is verò non contradicat, ſed ſervitia, quaſi à vaſallo, recipiat. *11. f. 26.* vel econtra, quis dominium directum quæſiturus, ſervitia exigat, alter verò obſequium præſtet, & ea promptè exhibeat. *arg. dd. textt.* 2. Continuatio per tempus lege definitum, quod moribus Longobardorum ſpatio 30. annorum completorum includitur. *11. f. 26. §. 4. non obſt. 1. f. 26. 11. f. 87.* 3. Bona ſemper fides. *11. f. 87. C. pen. & ult. de præſcript.* Nec moramur, quæ ex Jure Civili opponi poſſunt; quia Juri Canonico, etiam in Camera Imperiali, *Mynſ. 4. obſ. 6. Gail. 2. obſ. 18. num. 2.* omnis circa hanc materiam tribuitur authoritas. Nec tamen ut bona fides, ita etiam requiritur titulus, & inveſtitura præcedens. *11. f. 33. verb. licet non probet.*

61. Hoc Jure ita conſtituto, fidelis omnem fruendi, & quodammodo de proprietate diſponendi conſequitur facultatem. Unde eſt, quod fidelis percipiat omnes, (exceptis iis, qui ad regalia hodie referuntur, *vid. 11. f. 36. Dn. Struv. c. 12. aph. 3.* & expreſſam poſtulant exceptionem) fructus, reditus, obventiones, acceſſiones, naturales & civiles, *11. f. 23. in fin. 11. f. 28. §. his conſeq. 11. f. 45. vid. Dn. Struv. c. 12. a. 4.* An etiam theſaurum in ſolo feudali inventum? Aff. adhibitâ tamen diſtinctione, ut, ſi à vaſallo, etiam datâ operâ, modò abſque magicis artibus. *l. un. C. de theſaur.* vel ab alio, ſed datâ operâ inveniatur totus cedat vaſalli commodo. Si verò ab alio, ſed fortè fortuna, dividatur inter fidelem & inventorem. *add. Sneid. ad §. 39. I. de R. D. Dn. Struv. ſynt. feud. cap. 12. a. 5.*

62. Accedit etiam fideli, quod per alluvionem, coalitionem, Inſulæ nativitatem & alvei mutationem, prædio, non limitato, accedit. *l. 16. ff. de acq. rer. dom. l. 1. §. 6. ff. de flumin.* etiam ſine nova apprehenſione poſſeſſionis, modo unitum & connexum ſit fundo, quem poſſidemus, *arg. l. 3. §. 1. de acq. vel am. poſſ.* ſecus ſi ſeparatam ſubſiſtentiam, nec fundo noſtro, cujus olim poſſeſſionem apprehendimus, cohærentem habeat. *Dn. Struv. ſynt. Iur. Civ. Ex. 42. & 16. Id. ſynt. feud. c. 12.* quo caſu tamen non ut novâ apprehenſione poſſeſſionis, ita etiam nova inveſtiturâ opus eſt. *1. f. 4. verſ. tunc omne.* Quid ſi ipſe fidelis feudo quid adjiciat? *vid. 11. f. 8. v. 1.*

63. Ple-

63. Pleniſſimam fruendi facultatem ſequitur Jus locandi feudi. 1 1.*f*.9.§.*donare*. ſive ad breve, ſive ad longum tempus. *arg. l.*39. *locat*. Jus vendendi, jus donandi, jus oppignorandi, non quidem ipſum feudum, ſed commoditatem percipiendorum fructuum. Cum enim hæc omnia liceant uſufructuario, quatenus tali. *l*.12.§.2. *uſufr. quemad. cav. l*.11.§.3.*qui pot. in pign.* cur fideli noſtro, longè plenius jus habenti, idem denegemus? Unde eſt, cur, quin in fructibus jus dotis etiam conſtitui, immiſſio in eos fieri poſſit, modò fidelis alia bona non habeat, credam. *vid. Gail*.1.*obſ*.117. *adde Struv*.*c*.12.*a* 7.*ibiq. alleg.* Churf. Sächſ. Gerichts-Ordnung tit. 40. Von der Hülffe in die Lehen-Güter. *non obſt*. 11.*f*.52. & 55.

64. Quid multis? rem poteſt pro lubitu tractare, modò deteriorem non reddat. 1 1.*f*.8 §.1. & 28.§.*ſi vaſallus*. Hinc ædificat in ſolo feudali ad ſuam utilitatem. 11.*f*. 28. Servitutem rei feudali debitam petit, retinet, novam inducit, ſed quæ tantum inducenti obeſt, donec feudum tenet, nullo inde metuendo, quod Domino generetur, præjudicio, etiamſi per longa tempora perſeveraverit. 11.*f* 8. à quovis poſſeſſore rem per beneficium inveſtitam vindicat. *Goth. ad* 11.*f*.8.*pr. lit. l.* & ſi ab alio ejus rei nomine conveniatur, defenſionem opponit. *d. text*. de jure ſuo litigioſo tranſigit. 11.*f*.26.§.*ſi vaſallus*. ſive decidendi, ſive deminuendi illius gratia, *d. text*. modò juſta ratio, nec dolus, nec colluſio cum adverſario, ſubſit. 11.*f*.43. Et hæc omnia etiam ignorante & abſente domino, ſi textt. 11.*f*.26.§.*ſi vaſallus*. 11.*f* 43. tenaciter inhæremus; ſi verò utilitati fidelis conſulimus, expedit aſſenſum Domini, ut & aliorum, quorum intereſt, adhibere, illisque litem motam ſignificare. Ita enim fiet, ut ſi fortè res evincatur, dominum ſtatim de evictione convenire poſſit. 11.*f*.25.

65. Imò, quod magis eſt, alienat, modò cum, modò ſine domini conſenſu. Cum conſenſu jus ſuum planè in extraneum transferendo. 11.*f*.52.55. *non obſt*. 11.*f* 44. 1.*f*.5.13.18. 11.*f*.9. quod adeò verum eſt, ut etiam ſumma neceſſitas, cui alioqui lex poſita non eſt, conſenſum non excludat. *arg*. 11.*f*.9. *verb. neceſſitate. junct*. 11.*f*.52. & 55.

66. Sine conſenſu, 1. Refutando feudū, ſive cedendo, vel ipſi do-

 mino

mino, vel aliàs in feudo ſucceſſuro. 11.*f*. 14. quo facto, ad ſerviendũ quidẽ ampliꝰ non tenetur, ſed dominũ etiã nõ offendere debet. 11.*f*. 8. 32. Subinfeudando. 11.*f*. 3 §. 1. *verſ. per feudũ*. 9. 26. §. *beneficiũ*. 34. §. 2. Hanc enim licentiam per Conſtitutiones Lotharii & Friderici. 11 *f*. 52. & 55. ademptam, fruſtra credimus, propter 11. *f*. 3.

67. Modò fiat 1. ſincerè ac ſine fraude, 11. *f*. 3. 26. §. *beneficium*. 2. Fiat æque habili. 11. *f*. 34. habilitate judicandâ non ex dignitate aut nobilitate, ſed facultate & facilitate exigendorum & præſtandorum ſervitiorum. *d. l.* 3. Non aliâ lege, niſi quâ ipſe habeat, h. e. fiat iiſdem pactis & conditionibus, ſub quibus ſubinfeudans feudum à domino accepit. 11. *f*. 34. §. *ſimiliter*.

68. Cæterum titulo lucrativo, an oneroſo ſubfeudum tranſeat, nihil intereſt. *non obſt*. 11. *f*. 52. §. *Callidis*. 11. *f*. 3.

69. Quid ſi vaſallus non iiſdem conditionibus inveſtituram fecerit? Diſtingu. aut anguſtioribus finibus jus ſubvaſalli incluſit, puta, quia feudum, quod ad maſculos & fœminas erat tranſitorium, ſolum maſculis conceſſit; aut auguſtioribus, quibus ſubvaſalli jus augetur. Priori caſu, cum videatur domini conditio melior reddita. 11. *f*. 8. & 108. nullum reatum incurrit. Poſteriori caſu ſubinfeudatio quidem valet, ſed tantiſper, donec caſus exiſtat, quo à lege feudi recedit, qui ſi exiſtat, protinus domino feudum aperitur. v. g. ſi quis feudum acceperit, pro ſe ac heredibus ſuis maſculis, ſubinfeudando verò faciat id tranſire etiam ad fæminas, ſubinfeudatio valet quamdiu maſculi adſunt, qui ſi defecerint, domino aperitur. 11. *f*. 34.

70. Hactenus dicti juris beneficio fruitur fidelis, donec eo privetur. Privatio autem hodie non fit ſine cauſa. 1. *f*. 7. 21. uti olim fieri poterat. 1. *f*. 1. §. 1. 2. Sed neceſſe eſt aliqua præcedat, cum ejusdem cognitione.

71. Cauſæ, quod generaliter notandum, ſub aliqua certa regula aut definitione rotunda non poſſunt comprehendi. 11. *f*. 23. Ideò judicis ſolertis, diſcreti, & æquitati obſecundare ſolliciti judicio relinquitur, diſcernere, an aliqua de novo emergens enarratis in Jure feudali cauſis ſit major, vel certè ſimilis, & an ea ad privationem beneficii inducendam ſufficiens ſit, nec ne. 11. *f*. 24. §. *ſed quia natura*.

72. Frequentiores à Jure feudali expreſſæ, aliæ ſimilibus juribus

juribus, ut: Emphyteuſi, ſunt communes; aliæ verò huic juri, quibus ſingulari ratione evaneſcit, propriæ: Communes ſunt I. Conſolidatio, quando dominium directum cum utili conjungitur, ſive directum accedat utili, ſive utile directo. Huc facit *11. f. 26. §. domino. & 45.*

73. II. Rei ipſius interitus. Feudum, perinde ut uſusfructus, eſt jus in corpore, quo ſublato, & ipſum tolli, neceſſum eſt. *arg. pr. I. de uſufr.* non negligendo tamen, quod hac in parte intercedit, diſcrimine, videlicet, quod ſi domus utendi fruendi qualitate affecta corruat, ne areæ quidem uſusfructus debeatur. *§. 3. I. de uſufr.* Qualitati autem feudali ſuppoſita, aream implicet, eademque qualitate afficiat. *Dn. Struv. ſynt. feud. cap. 15. aph. 4.*

74. III. Damnum notabile & inſigne. *II. f. 23. verb. egregiæ. II. f. 24. § 2. verſ. præterea.* in re feudali, etiam empta. *vid. Ludvvell. ſyn. feud. c. 17.* datum, *11. f. 8. §. 1. & 27. §. 7. arg. auth. qui rem. C. de SS. Eccleſ.* vel dolo, vel culpâ latâ. *1. f. 21. 22. in fin. 11. f. 52. § fin.* inſuper habitâ domini admonitione, & ad meliorem uſum erectione. *11. f. 27. §. 7. Schrad. p. 9. c. 6. n. 67.* IV. Lapſus temporis, quo placuit contra communem feudi legem, beneficium finiri. *1. f. 2. 11. f. 10. 105.*

75. Singularis & non niſi feudo adhærens amiſſionis cauſa eſt jure feudali proprio nuncupata vocabulo felonia ſeu culpa, quâ vaſallus vel ingratus eſt erga dominum, vel aliàs hoc beneficio indignum ſe reddit.

76. Ingratus eſt, vel directò in ipſum dominum, vel indirectè in alios, per quorum latus eũ afficit. Directò, quando fidelis quid facit, quo minus commodum domini promoveatur. h.e. obſit vitæ & corporis incolumitati & ſecuritati, bonorum tutæ, facili & poſſibili conſervationi aut acquiſitioni, aliive utilitati & honori domini. *11. f. 5. 6. 7.* v.g. ſi fidelis requiſitus ſervitium facere recuſaverit. Dominum in acie periclitantem deſeruerit. Dominum de periculo vel aſſultus, vel mortis, vel captionis aut grandis jacturæ patrimonij imminente certiorem non reddiderit, quo ſciens prudensque periculum valuiſſet declinare. *11 f. 24.* vel ipſe fidelis non declinet, aut ultro adjutorium præbeat, præprimis ſi ſciat imminere periculum magnum. *11. f. 26. §. licet.* Si cognoverit dominum incluſum, & eum, cum potuerit, non liberaverit.

 11. f. 24.

11.*f.*24. ſi dominum aſſalierit, h.e. adortus fuerit impetuoſè. 1.*f.*5. *verſ. ſimiliter.* vel vicum, in quo eſt, per vim aggreſſus fuerit, vel impias manus in perſonam domini ubicunq; ingeſſerit, vel ſaltem quaſi percuſſurus levaverit. *vid. Ludvv.c.*16 vel alias graves aut inhoneſtas injurias intulerit, vel morti (vitæ potius) ejus veneno vel gladio (excipe caſum neceſſariæ ſui ipſius defenſionis, & quando in adulterio uxoris ſuæ eum deprehenderit. Quo absque metu amiſſionis feudi occidi dominus poteſt. *non obſt. l.*38.§.9 *ad L.Iul. de adult. Ludvv.c.*16.) vel aliter inſidiatus fuerit. 11.*f.*24. Si fidelis cum inimicis domini amicitias ſuas copulaverit, atque in aliis ſic verſatus eſt, ut potius inimicus, quàm fidelis eſſe credatur. 11 *f.*57. quod ſi in dubio ſit, domino incumbit probatio, per ea quæ traduntur à *Ludvv. ſyn. feud.c.* 16. *add. Struv. ſyn. feud.c..*5 *a.*9. Item ſi delator (vocabulo latius accepto, ut præter ſignificationem propriam, qua tantùm denotatur ille, qui rem ad fiſcum pertinentem præmii cauſa defert, etiam includat accuſatorem. *l.*15.*l.*18. *de jur. fiſc.*) domini ſui extiterit, & per ſuam delationem grave diſpendium eam ſuſtinere fecerit. *add.* 11. *f.*33.§.*ſimiliter.* Limitationes quasdam *vid. ap. Ludvv. ſyn feud.c.*16. Item ſi teſtimonium in cauſa, maximè criminali, contra Dominũ, ſponte (ſecus ſi excuſationem oppoſuerit, & nihilominus à judice coactus ad teſtimonii dictionem fuerit) dicat. 11 *f.*33. §.*ſimilir.* Si credentiam i. e. ſecretum, arcanum, quod Dominus fideli credidit. 11.*f.*5.6.7. ad ipſius damnum ſcienter manifeſtaverit. 1.*f.*17. Si feudum totum vel ejus partem (quo caſu partem etiam tantum amittit) aut feudi conditionem ex certa ſcientia inficiatus, & inde convictus fuerit. 11.*f.*26.§ *vaſallus.* 11.*f.*34. *in fin.* Si per annum & diem, domino directo mortuo, ſteterit, & heredem ipſius in veſtituram petendo, fidelitatem pollicendo non adierit. 11.*f.* 24. Si dominus inveſtituram pollicendo vaſalli fidelitatem petierit, vaſallus verò tribus vicibus citatus à ſuis paribus jurare noluerit. 11.*f.*24. Si domino juſtitiam facere noluerit, h. e ſi in jus de re feudali vocatus à domino, ire negligit, vel contemnit, aut domeſticos ſuos juri non ſiſtit, à quibus fuit dominus injuriâ affect⁹. *Goth. ad* 11.*f.*24.§.2. *lit.g. conf.* 11.*f.*22. Si non requiſito domini conſenſu feudum ſcienter 11.*f.* 26. alienaverit, & tradiderit. 11.*f.*25.

77. Per aliorum latus ſentit Dominus ingratitudinem fidelis, quando in perſonas poteſtati ipſius vel affectui ſubjectas aliquid committitur. *l.* 1. § 3. *ff. de injuriis.* v. g. quando vaſallus Dominum cucurbitaverit. i.e. cum uxore ejus ſive invita, ſive volente, *arg. l.* 1. §. 5. *de injuriis. add. Goth. hic. lit. n.* ſciens, ſecus ſi ignorans aut errans, veluti ſi perſonatâ aut meretriciâ veſte induta fuerit. *l.* 15. §. 15. *ff. de injur.* aut domino ſciente & volente. *arg. l.* 1. §. 5. *ff. de injur. l.* 145. *ff. de R. I.* concubuerit, 1. *f.* 5. vel concumbere ſe exercuerit, i. e. concumbere conatus fuerit, eam ad concubitum ſollicitando per literas amatorias, per munera, aut alias ſtrophas. *Dn. Struv. ſynt. feud. cap.* 15. *a.* 9. aut cum ea turpiter luſerit, manum in ſinum aut ad pectus ejus mittendo, vel ad alium locum, unde turpe eſſe poteſt, uti explicat *Hotom. ad* 1. *f.* 5. amplectendo, oſculando luxuriosè, quod præſumitur, ſi ſecreto fiat.

78. An etiam in Clerico? Abſit ut quidquam ſiniſtrum de hoc arbitremur. *XI. q.* 3. *c.* 14. religiosè cum gloſſa ad *d. cap.* ſentiamus? Sed Clericus homo eſt, itaq; humani nil quidquam ab eo alienum: Suſpectus eſt Clericus, cujus hoſpitiolum frequentes mulierum terunt pedes, ſuſpectus eſt Clericus, cujus nomen fœminæ norunt, vultũ non neſciunt, *diſt.* 32. *c.* 17. *diſt.* 81. *c.* 20.

79. Quod de uxore dictum, dicendum quoque de Sponſa domini. *arg. l.* 13. § 3. *ad L. Iul. de adult. l.* 15. §. 24. *de injuriis. l.* 5. *C. de bon. quæ lib.* Non idem de vidua. 1. *f.* 21. niſi intra tempora luctus adhuc fiat. Tunc enim non tantum ſuſpicionem movet adulterij vivo marito commiſſi. *Nov.* 39 *c.* 2. ſed etiam in gravem ea res domini redundat injuriam, *conf. l.* 11. §. 1. *de his qui not. infam.* Idem verò ſi cum filia, aut cum nepte ex filio aut cum nupta filio, aut cum ſorore domini, aut dominæ in domo ejus manente, quæ in capillo ſive capilitio juxta morem gentis, velut caſtimoniæ puellaris inſigni redimitâ. h. e. virgine adhuc & innuptâ, concubuerit. 1. *f.* 5. 1 1. *f.* 24 §. 2.

80. Idem judicium ferendum eſt de matre domini, *arg.* 1 1. *f.* 7. *in fin.* quamvis ſint qui diſſentiant. Pediſſequam tamen Dominæ absque metu amiſſionis feudi poteſt exercere. quamvis immunem ab actione injuriarum, & reatu perjurii non pronunciem. *l.* 15. §. 15. *ſeq ff. de injur.* 1 1. *f.* 7. *in fin.*

81. Alias ob cauſas feudo ſe indignum reddit fidelis, ſi extra enumeratos caſus grave quid committat, ſicut ille, qui fratrem, non Domini ſui, ſed ſuum, vel nepotem, i.e. filium fratris, ut hereditatem totam habeat, interfecerit. 1. *f.* 5. vel aliud grave crimen, quod parricidii appellatione continetur, perpetret. 11. *f.* 24. *verſ. deniq.* 1. *f.* 5. *conf. Magnif. Dn. Senior. Hod. cb.2. clim.4. par.27. Dn. Struv. ſynt. jur. civ. ex.* 49. & 68. Deinde ſi hominem, h.e. Convaſallum prodiderit, tradideritque, ut in Curia amplius ſtare non poſſit. Hoc enim facto videtur circa feudum delinquere, defraudando dominum fideli & ſervitiis debitis, adeoque indignus fit feudo. 11. *f.* 37. Porrò annumeratur Crimen læſæ Majeſtatis. *vid. Capit. Ferdinand. III. Imp. art.28. verb. Ex crimine laſæ Majeſtatis* **und ſonſt verwirckt**.

82. Sunt qui inceſtum, adulterium, ſtuprum, homicidium, imò omne delictum propter quod bona confiſcantur, inter amittendi feudi cauſas referunt: at malè.

83. Sed commiſsâ causâ aliquâ caditne Vaſallus feudo ipſo jure, an verò per ſententiam? dico per ſententiam, per textt. 1. *f.* 21. 22. *in fin.* 11. *f.* 57. *arg.* II. *f.* 52. *in fin.* quæ effectum, non declarandi, ut quidam volunt, ſed privandi habet. *Dn. Struv. ſynt. feud. c.15. a.* II.

84. Supereſt, ut paucis tangamus jura illa, quæ affinitatem quandam & ſimilitudinem cum hoc noſtro Jure habent. Ea autem ſunt Emphyteuſis. Jus ſuperficiarium. Bona cenſitica, ſive cenſualia. Bona libellaria. Bona, quæ quis tenet jure precariæ, ſeu precariarum. Bona locata, **Laß-Güter**. Bona hominum propriorum. Beneficium Eccleſiaſticum ſeu præbenda Canonicatus & vicariatus. Jus protectionis. Bona quæ ſecundum conſuetudinem quorundam locorum in ſolos filios ſunt tranſitoria, &c. de quibus *Dn. Struv. c.2. a.10. Rittershuſ. part. feud. lib.1. c.2.* Atque hic terminus eſto materiæ ad diſputandum propoſitæ.

Quod DEO cedat honori.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE